



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro sui vilipensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Pro humili subiectione, precatio.*

**O** Infinita ac interminabilis bonitas Christe Iesu pijsime, inspira & confirma in me spiritum bonum, qui me semper ad feruentiorem profectum inflamma: spiritum, inquam, veræ & perfectæ humilitatis, qui me dirigat, doceat, & informet, quomodo ex toto cordis affectu, sine aliqua cordis remurmuratione sub omnium pedibus, maximè seniorum & prælatorum meorum me subijcere, humiliare atq; inclinare, omnemq; proprium sensum relinquere, & eorum ductum atq; iudicium sequi possim, quo tanto expeditius te Deum meum, qui vsq; ad mortem animam tuam humiliasti, per regiam humiliationis viam gratia tua adiuuante sequar, Amen.

*Pro stultitia quadam laudabili, precatio.*

**O** Iesu clementissime, ex intimis præcordijs te oro, vt me ad omnia quæ huius mundi sunt stultum facias, quatenus præter te nil sciam aut velim: vtq; in oculis meis totus sim vilis ac abiectus, nec ab vlllo vnquam appetam honorari, sed magis despici atq; vt fatuus vilipendi, Amen.

*Pro propria vilitatis agnitione, precatio.*

**O** Iesu superdulcissime, vnam tuam profundissimam humilitatem cordi meo tam profundè inscribas, vt nulli superbix motus in me locum inueniant, neq; me vlli vnquam creaturæ propter nimiam meam indignitatem & vilitatem comparare audeam, sed quasi omnium vilissimum atq; nouissimum ex animo omnibus substernam, omniumq; quos mundus continet hominiam imperfectissimum ac infimum iudicem, Amen.

*Pro sui vilipensione, precatio.*

**O** Iesu desiderantissime, supplico quam deuotissime possum ardentissime tuæ erga me charitati, vt ad profundissimæ humilitatis virtutem cor meum præparare digneris, tantotq; tui suauissimi amoris igne me succendas, vt omnia mundi blandimenta, omniaq; transitoria & meipsum totum propter te contemnam, nec vlla mundi aduersa, vel conuiciantium mihi probra pertimescam, sed totis viribus te per viam, despectionis & crucis opprobrium gaudens imitari desiderem, neq; (quod seculi huius amatoribus proprium est) doleam si alij mihi præferantur; imò vehementer contrister, si aliquis mihi honor à quoquam deferatur, Amen.

*Pro humilitate, precatio.*

**I**esu Christe, amator & magister humilitatis, qui abiecta huius mundi eligis, vt fortia quæq; confundas: quiq; secreta tua abscondis mundi sapientibus, & renelas ea paruulis, apud quem etiam abominabile est, quod altum est hominibus: infunde cordi meo perfectissimam tibiq; acceptissimam humilitatem. Dulcis Iesu, qui dixisti: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: doce me vt feruentissimo desiderio optem, gaudensq; accipiam omnem humiliationem, vilificationem, atq; contemptum meipsum. Extingue pijsime Iesu in me appetitum omnem inanis gloriæ, vt ex toto corde meo cupiam gaudeamq; nesciri, cõtemni, vilis reputari, & opprobria pati. Eia pie Iesu, fac vt tibi soli placere cupiam & propter te nemini displicere timeam. Fac vt propriè vilitatem, miseriam, inconstantiam, prauitatem, & quam nihil sim verè cognoscam, & ex animo detestabilem me sentiam, atq; ab alijs sentiri cupiam.

Matth. 23

Matth. 23